19

I. N. D. N. J. C.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA, DE

USUFRUCTU,

QUAM AUSPICE DEO,

Ex Decreto

Inclytæ Facultatis Juridicæ

IN

UNIVERSITATE ARGENTORATENSI,

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN UTROQVE JURE HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE ATQVE LEGITIME CONSEQVENDI,

SOLENNI Eruditorum Censuræ submittit

FRANCISCUS ANTONIUS QVEFFEMME, Colmariensis,


D. 31. Mart. Anno M DCC XXV.

ARGENTORATI,

LITERIS Viduæ JOHANNIS PASTORII.




DEO,
PATRIÆ,
PATRONIS,
PARENTIBUS
ATQVE
AMICIS.



DE USUFRUCTU.

THESIS I.



QVandoquidem primas inter cætera juris objecta, partes vindicent sibi materiæ potissimum eæ, quas annexa ipsis præsertim commendat utilitas, potest inde profectò ista, quam pertractandam suscipio, de usufructu, inter priora quoque nec sine fundamento, referri, ac proinde non ineptum videri Dissertationis Inauguralis argumentum, siquidem continua negotiorum humanorum circa utendum, fruendum, utplurimum occupatio versatur, est autem usus fructus, prouti definitionem ejus aptissime tradit *Imperator Noster in pr. Inst. tit. de Usufr.* ut & *Paulus in l. 1. ff. tit. eod.* jus, alienis rebus utendi, fruendi, salva rerum substantia, estque alius causalis, alius formalis, cum vero species prior hujusce loci non sit, hinc exponendæ illi

 du-

diu non immorabor, pauca tamen ad simplicem duntaxat ejus intellectum subjiciam, causalis itaque usfructus appellatur jus, re propria, pro lubitu & arbitrio utendi, fruendi, domino proprietatis competens, hinc ususfructus improprie tantum dicitur, cum nemini possit fundus suus servire, *l. 5. pr. ff. Si ususfr. pet.*

THES. II.

Formalis autem ususfructus, cui ususfructus definitio tantum convenit, jus est à proprietate separatum, à qua certam & distinctam formam habet, ita, ut apud unum sit proprietas, apud alterum vero ususfructus ejusdem rei, & huic proprie servitutis nomen tribuitur, dividiturque in verum, seu proprium, & quasi, seu improprium, proprius ususfructus audit ille, qui constituitur in iis rebus, quæ usu non consumuntur, sed quarum salva manet substantia, sive res sint immobiles, ut prædia rustica & urbana, sive mobiles, ut servi, jumenta, §. 2. *Inst. de Usufr. l.* 3. §. 1. *ff. eod.* numismatum etiam veterum, aureorum, vel argenteorum, quibus pro gemmis uti solemus, & cæterum hujusmodi, quæ servando servari possunt, verus datur ususfructus, *cit. text. & l.* 28. *ff. eod.* imò & rerum incorporalium, ex. gr. jurisdictionis, usumfructum constitui nil vetat, quo casu, mulctæ & pœnæ pecuniariæ, ut fructus jurisdictionis ad fructuarium spectant, quasi ususfructus, sive improprius is est, qui in iis, quæ utendo consumuntur, vel minuuntur, uti

uti ſunt vinum, oleum, odores, veſtimenta, pecunia, conſiſtit, *dict.* §. 2. *Inſt.* qui proinde abuſus potius dici poteſt, cum hiſce rebus quis uti nequeat, ſalva earum ſubſtantia, & licet pecunia uſu non conſumi videatur, cum ſemper in rerum natura maneat, expendenti eam tamen perit, cæterum in poſteriori iſthac uſusfructus ſpecie fructuariæ rei dominium, in fructuarium tranſit, *l.* 7. *ult. & ff. de Uſufr. ear. rer.* aſt veſtimentorum quoque verum conſtitui uſumfructum, non repugnat.

THES. III.

Præmiſſis hiſce de natura & diviſione uſusfructus, jam ad eos, quibus acquiritur, modos, procedendum videtur, acquirere autem ſibi uſumfructum poteſt, quicunque conditionem ſuam meliorem reddere valet, conſtituere vero is regulariter, qui dominus eſt rerum ſuarum, liberamque earum adminiſtrationem habet, idque aut inter vivos, pactis & ſtipulationibus, aut ultimis voluntatibus, ut puta teſtamento, vel codicillis, expreſſe nimirum legando uſumfructum legatario, retenta proprietate hæredi, vel contra *l.* 3. *pr. l.* 6. *pr. ff. de Uſufr.* Conſtituitur etiam per ſententiam judicis, in judiciis ſcilicet diviſoriis, ut familiæ herciſcundæ, & communi dividundo, ſi judex alii proprietatem, alii uſumfructum adjudicaverit. *cit. leg.* 6. §. 1. *ff.* acquiritur denique uſusfructus quoque præſcriptione longi temporis, *l. fin. in f. C. de Præſcript. long. temp.* nec

 per

per nosmet ipsos tantum consequimur usumfructum, sed per eas etiam personas, quas juri nostro subjectas habemus, *l. 6. §. 2. ff. de Usufr.* ut per servos, *l. 74. ff. Quib. mod. usufr. amitt.* item per filiosfamilias, ratione peculij adventitij regularis, *l. 6. C. de Bon. quæ lib. in pot.*

THES. IV.

Constituto usufructu, consequens est, ut satisdatio boni viri arbitratu præbeatur ab eo, ad quem id commodum pervenit, quod nullam læsionem ex usu proprietati afferat, ita statuit *Alexander Imperator in l. 4. C. de Usufr.* quæ cautio fidejussoria nempe iis præstatur, quorum interest, eaque duplex est, altera qua fructuarius cavet, se arbitrio boni viri usurum, & cum ususfructus ad eum pertinere desinet, restituturum, quod inde extabit, *l. 1. pr. ff. Usufr. quemadm. cav.* & hæc in proprio duntaxat usufructu præstatur, alia est cautio usufructuaria, qua in quasi usufructu, alternative, communiter cavetur, aut de restituenda finito usufructu re, ejusdem bonitatis qualitatis, cujus erat fructuaria, aut illius æstimatione refundenda, quod utramque cautionem attinet, eam usufructuarius quilibet regulariter præstare tenetur, quocunque modo constitutus sit ususfructus, *l. 1. §. 2. in f. ff. tit. alleg.* adeo, ut omissa condici possit, *l. 7. pr. ff. eod.* nec testator legando usumfructum eam in præjudicium hæredis plane remittere queat, cum non testatoris, sed hæredis commodum à lege introductum, con-

concernat, poteſt tamen per modum alterius legati eum, cui uſumfructum legat, cautione liberare teſtator, ſi eam jubeat ab uno ex hæredibus ſuis præſtari, *l. 8. ff. de Uſufr. ear. rer.* hæres autem eam remittere legatario poteſt, cum cuilibet juri in favorem proprium conſtituto, renunciare liceat, *l. penult. C. de Pact.*

THES. V.

Ne tamen ex his cum nonnullis id inferendum cenſeas, quaſi de eſſentia uſusfructus ſint modo dictæ cautiones, ſiquidem certis etiam caſibus ab iis fructuarii quidam liberantur, ſic enim patri reverentia paterna eum excuſante, præſtatio cautionis, ratione uſusfructus, quo in bonis liberorum gaudet, remittitur in *l. 8. §. 4. in f. C. de Bon. quæ lib. in pot.* ita quoque à fiſco, nulla uſusfructus legati nomine cautio exigitur, cum fiſcus ſemper præſumatur dives & ſolvendo, *l. 1. §. 18. ff. Ut leg. ſeu fideic. ſervand.* ſatisdare pariter non cogitur is, cui proprietas ex die, uſusfructus pure legatus eſt, ait *Pomponius in l. 9. §. 2. ff. Uſufr. quemadm. cav.* cum hoc caſu, alterius non interſit, quia certum eſt, ut ibidem ſubjungit, ad eum proprietatem, vel ad hæredem ejus perventuram, his addunt & nonnulli donatorem, qui uſumfructum ſibi in re donata reſervavit *arg. l. 62. ff. de Ædil. ed.* ne ſcilicet donator liberalitatis ſuæ patiatur pœnam, quæ ſententia etiam cæteris paribus, defendi poteſt, ac demum in genere, nullus

nullus fructuarius cautionem offerre tenetur, unde & licet præstita ea non sit, quia non petita, fructus nihilominus faciet suos, cum sufficiat, si per eum non stet, quominus satisdetur, ac petenti satis, moram non faciat, *arg. l. 2. §. 1. ff. quod. leg.*

THES. VI.

Expositis istis de fructuariorum satisdationibus, id jam explorare lubet, in quo nimirum usufructus emolumentum consistat, & quousque fructuarii potestas se extendat, quod vero prius attinet, fructus omnes qui ex re usufructuaria ad necessitatem, commoditatem & voluptatem, secundum qualitatem ejus percipiuntur, & percipi possunt, ad usumfructuarium pertinere colligitur ex *l. 7. pr. ff. de Usufr.* sive naturales sint ij, sive industriales, aut civiles, quod fructuum ultimi anni, ad hæredes transmissionem respicit, in naturalibus perceptionis, non tamen immaturis fructibus, non obstante *l. 48. §. 1. ff. Eod.* in civilibus autem, cessionis tempus attenditur, unde si prædii urbani usufructus constitutus sit, ut puta ædium, reditus omnes, pensiones atque obventiones ex ædificiis, & areis & cæteris quæcunque ædium sunt, consequitur fructuarius *dict. l. 7. §. 1. ff.* si vero prædii usumfructum quis habeat, ex. gr. fundi, tum quicquid in fundo nascitur, quicquid inde percipi potest, fructuarii est, hinc si apes in fundo fructuarii sint, earum

quo-

quoque uſusfructus ad fructuarium ſpectat, inde aucupiorum, venationum, piſcationumque reditus ſuos facit', venari ipſi etiam uſufructuario in montibus, vel ſaltibus poſſeſſionis licet, *l. 62. pr. ff. eod.* item, ſi in fundo ſint lapidicinæ, ut cretifodinæ, aut harenifodinæ, his uti quaſi bonus paterfamilias, imo auri & argenti, æris & ferri, aliorumque metallorum fodinas inquirere, vel quas paterfamilias inſtituit, exercere vel ipſe inſtituere poteſt, ſi modo nil agriculturæ noceat *l. 13. §. 5. eod.* porro, uſufructuarius non modo rei principalis, ſed & acceſſionum, veluti alluvionis, aut inſulæ, juxta fundum in flumine natæ, uſufructu gaudet, conf. *l. 9. ff. eod.* emolumenta tamen extraordinaria, veluti theſaurus in fundo repertus, ſiquidem in fructum non computentur, fructuario non cedunt, ſed partem eorum dimidiam, quaſi in alieno inventorum reſtituere cogitur, *l. 7. §. 12. ff. ſol. matr.* quando autem gregis, vel armenti uſusfructus conceſſus, tunc lac, pilus, lana, uſufructuarii fiunt, fœtus etiam pecudum in fructu comprehenduntur, non tamen partus ancillæ, abſurdum enim videtur in fructu hominis eſſe hominem, cujus gratia fructus omnes rerum natura comparavit, §. 37. *Inſt. de Rer. div. l. 68. pr. ff. de Uſufr.*

THES. VII.

Quod ad poteſtatem fructuarii, eam his verbis proponit *Ulpianus in l. 12. §. 2. ff. eod.* uſu-

ctua-

fructuarius inquit, vel ipse frui ea re, (scilicet fructuaria,) vel alii fruendam concedere, vel locare, vel vendere potest, nam & qui locat, utitur, & qui vendit, utitur, sed & si alii precario concedat, vel donet, puto eum uti, ita tamen, ut resoluto jure dantis, jus quoque accipientis resolvatur, causam autem proprietatis deteriorem facere non debet, meliorem potest, modo necessariam rei fructuariæ partem huic fructuarius occupaturus non sit, unde usufructu fundi constituto, neque arbores frugiferas excidere, neque villam diruere, nec quicquam in proprietatis perniciem moliri ipsi permittitur, & si forte voluptuarium fuit prædium, viridaria vel gestationes, vel deambulationes arboribus infructuosis opacas atque amoenas habens, non debebit dejicere, ut forte hortos olitorios faciat, vel aliud quid, quod ad reditum spectat, sed & in locum demortuarum, non vi tempestatis eversarum, vitium, vel arborum, alias substituere debet, & priores sibi retinere potest, *l.* 18. *l.* 58. *pr. ff. eod.* at si ædium ususfructus sit concessus, *Nerva* filius, & lumina immittere fructuarium posse ait, verum & colores, & picturas, & marmora poterit, & sigilla, & si quid ad domus ornatum, sed neque diætas transformare, vel conjungere, aut separare ei licet, vel aditus posticasve vertere, aut refugia aperire, vel atrium mutare, vel viridaria ad alium modum convertere, excolere enim, quod invenit, potest, qualitate ædium non immutata, *l.* 13. §. 4. *&* 7. *ff. eod.* Si denique

que gregis usufructus relictus, hoc casu, in locum defunctorum capitum, alia submittendo, ex agnatis gregem supplere tenetur fructuarius, *l.* 68. §. 2. *ff. eod.* unde quodammodo animalia ferrea dici possunt.

THES. VIII.

Præterea, omne quod diligens paterfamilias facit, fructuarius quoque facere debet, sed quæritur, in quem impensæ redundent, easque ad usufructuarium spectare deciditur, cum & omnes ad eum fructus perveniant, secundum naturam enim est, ut qui sentit commodum, sentiat & onus, adeo, ut si usufructuarius non faciat expensas, quæ ad eum pertinent, ab usufructu repellatur, quasi non bene utatur, limitatur tamen & restringitur prædicta conclusio ad modicas impensas, non magnas, modica enim refectio tantum fructuario, magna vero proprietario incumbit, *l.* 7. §. 2. *ff. de Usufr. l.* 7. *C. eod.* in qua ita *Gordianus* Imperator decernit, eum, ad quem usufructus pertinet, sarta tecta suis sumptibus præstare debere, explorati juris est, proinde, si quid ultra, quam impendi debeat, erogatum potes docere, solenniter reposces, estque ratio, quod modica impensa temporalem tantum fructuum perceptionem, magna vero, perpetuam rei utilitatem concernere censeatur, quam per consequens in proprietarium, cujus perpetua proprietas est, redundare fas est, census autem, decimas, tributa cæteraque onera realia ex re

fructuaria debita, ſicut & collectas atque ſuperindicta ſolvere fructuarius obligatur, *d. l.* 7. §. 2. & *l.* 28. *ff. de Uſufr. leg.* niſi tamen ſpecialiter nomine fideicommiſſi teſtatori placuiſſe probetur, hæc quoque ab hærede dari, *l.* 52. *ff. de Uſufr.* aut impoſitæ indictiones tantæ ſint, ut uſumfructum abſorbeant, dum perceptioni fructuum adæquarentur, ſiquidem eo caſu, nil fructuario reſiduum foret, quod teſtator non voluiſſe præſumitur, *arg. l.* 57. *ff. de Leg.* 1.

THES. IX.

Ne tamen in univerſum inutilis ſit proprietas, ſemper abſcedente uſufructu, cum ridiculum foret, dominum rei ſine ulla ſpe, ipſa unquam utendi, fruendi appellari, hinc certis etiam modis extinguitur uſusfructus, & ad proprietatem revertitur, certa autem & frequentiſſima uſusfructus meta fructuarii mors eſt, ſcilicet naturalis, ſi alia eam cauſa non præcurrat, *Ulpianus in l.* 3. §. *ult. ff. Quib. mod. uſufr. amitt.* ſiquidem uſusfructus ſervitus eſt perſonalis, ideoque cum perſona cui adhæret expirat, unde & *Modeſtinus* in *l.* 31. *ff. de Uſufr.* Titio, ait, cum moriatur, uſusfructus inutiliter legari intelligitur, in id tempus videlicet collatus, quo à perſona diſcedere incipit, ſic & *Paulus* in *l.* 5. *ff. de Uſufr. leg.* uſumfructum cum moriar, inutiliter ſtipulor, idem eſt in legato, quia & conſtitutus uſusfructus morte intercidere ſolet, ergo & ſi fructuarius uſum-

ſumfructum legaverit, inutile erit legatum, niſi poſtea proprietatem nactus eſſet, refert *Pomponius* in *l.* 24. §. 1. *ff. de Leg.* 1. ſed quid, ſi plures ſint fructuarii? ſane ſi pluribus in ſolidum relictus ſit uſusfructus, mortuos omnes eſſe oportet, ut ad dominum proprietatis revertatur, idemque in aliis modis finiendi uſusfructus, idque propter jus accreſcendi, quod inter eos verſatur, quod ſi duobus ſeparatim alternis annis, uſusfructus conceſſus, & ex iis alter decedat, per vices temporum plena proprietas erit, neque enim accreſcere alteri quicquam poteſt, quoniam per propria quisque tempora non concurrente altero, fructus integros habuit ut ſcribit *Papinianus* in *l.* 2. *pr. ff. Quib. mod. uſusfr. amitt.* porrò, uſusfructus patri per filiumfamilias acquiſitus, filiifamilias morte non extinguitur, ſed penes ſuperſtitem patrem remanet, & viciſſim, *l. fin. C. de Uſufr.* ſi vero id in conceſſione uſusfructus expreſſum, ut ad hæredes tranſeat, tunc ad primi gradus hæredes, non ad ulteriores pervenit, *l.* 14. *C. eod.* Non obſtante, *l.* 65. *&* 70. *pr. ff. de Verb. ſign.* quid autem, ſi tales uſumfructum habeant, qui non moriuntur, veluti civitates, certe, reſpondit *Cajus* in *l.* 56. *ff. de Uſufr.* eum ſaltem finiri lapſu centum annorum, qui finis vitæ longævi hominis eſt, poterit autem & citius perimi, ſi aliter civitas intercidat, hinc *Modeſtinus* in *l.* 21. *Quib. mod. uſusfr. amitt.* ſi uſusfructus, inquit, civitati legetur, & aratrum in eam inducatur, civitas eſſe deſinit, ut paſſa eſt Carthago,

que quaſi morte deſinit habere uſumfructum; mors autem proprietarii nihil pertinet ad finiendum alterius uſumfructum, reſcripſit *Imperator Antoninus in l. 3. §. 1. C. de Uſufr.*

THES. X.

Ad proprietatem inſuper revertitur uſusfructus propter mortem civilem, ſi nempè fructuarius maximam, vel mediam, capitis diminutionem paſſus fuerit, *l. penult.* §. 2. *C. eod.* item amittitur uſusfructus non utendo per modum & tempus, uti legitur in §. 3. *Inſt. de Uſufr. l.* 13. *C. de Servit.* olim quidem anno, vel biennio, hodie vero nonniſi decem annis inter præſentes, & viginti inter abſentes, non obſtante *l.* 16. §. 1. *C. de Uſufr.* interitu quoque totali rei fructuariæ uſusfructus expirat, ita ut uſufructu ædium conceſſo, conſumptis ædibus, vel etiam terræ motu, vel vitio ſuo corrutis, ne areæ quidem uſusfructus retineatur, §. 3. *Inſt. d. tit. in f.* de uſufrctu gregis ita habet *Pomponius in l. ult. ff. Quib. mod. uſufr. amitt.* cum eouſque numerus pervenit gregis, ut grex non intelligatur, perit uſusfructus, quod vero exiſtentia diei, vel conditionis, uſufructui adjectæ, uſusfructus intereat, id per ſe patet, finitur denique uſusfructus etiam, ſi domino proprietatis ab uſufructuario cedatur, nam cedendo extraneo; nil agitur, aut contra, quæ res conſolidatio appellatur,